



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

36. Idem Lietbertus Episcopus, amotis Canonicis saecularibus, vt vocant,  
regulares substituit in Cameracensi S. Auberti coenobio, an. 1066.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Actum est hoc Cameraci in eodem monasterio S. Sepulcri, anno  
ab Incarnatione Domini M. L. XIV. Indictione II. regnante Hen- 1064.  
RICO Rege Lothariensium anno XII. Episcopatus vero domni  
Lietberti XIV.

Paruinus Notarius & monachus scripsit.  
Werimbaldus Cancellarius recensuit.

## N O T A T I O N E S .

Gregorius VII. Papa anno II. sui pontificatus, Paschalis II. &  
alij exinde Pontifices Romani hæc omnia rata esse iusserunt. Idem  
fecit Gerardus eo nomine secundus Cameracensis Episcopus, anno  
Christi M. X. C. Indictione XIV.

1090.

LOTHARIENSIVM) Rex hic nuncupatur Henricus eo nomine  
quartus Imperator, ut & Otho I. suprà cap. 18.

## C A P V T   X X X V I .

*Lietbertus Cameracensis Episcopus, amotis Canonicis sacer-  
tibus, ut vocant, regulares substituit in Cameracensi-  
s. Auberti cænobio, anno 1066.*

**I**N nomine sanctæ & diuiduæ Trinitatis. LIETBERTVS, Dei gratia  
Cameracensium Episcopus, successoribus suis Episcopis & ex-  
terioris Christi fidelibus præsentis vitæ latitudinem, & futuræ sempiter-  
nam gloriam.

Est quoddam monasterium infra muros Cameracæ ciuitatis, in  
honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanctique Auberti confes-  
soris, eiusdem ciuitatis Episcopi, ibidem corpore quiescentis conse-  
cratum, ubi retro deseruiebatur officio Canonicorum: quibus in-  
iunctam seruitutem negligentibus, cœpit locus ille vilescere, &  
indies à priori honorificentia statu declinare.

Hoc ego considerans condolui, cœpique animo voluere, qualiter  
melius ad diuinum cultum possem releuare. Tandem zelo Dei ani-  
matus, & fidelium nostrorum consilio reboratus, regulares Cano-  
nicos, de communi viuentes, & nihil proprium habentes, & ejus-  
dem professionis & ordinis Abbatem eo in loco constui, restaura-  
tis

tis & alibi restitutis præbendis Canonicorum illorum, qui præ-  
prium retinentes illic communiter viuere noluerunt.

Ædilitatem verò & Præposituram, quæ mei iuris erant, præter  
antiqua bona huius loci, per consilium Archidiaconorum & Ca-  
nonicorum, & ceterorum fidelium nostrorum, huic Ecclesiæ con-  
tuli, & insuper potestatem donandi præbendas Abbati concessi.

Vt autem hoc factum firmum maneat & inconvulsum, præcepi  
fieri huiusmodi priuilegium, quod etiam manu propria firmaui, &  
sigilli mei impressione signavi: postulans & obtestans omnes vos,  
ð successores mei Episcopi, in nomine Domini nostri Iesu Christi,  
vt quod feci, tam pro vestra, quam pro mea & totius ciuitatis salute  
conseruetis, prouehatis & vos, quantum Deus donauerit ex vestra  
parte.

Præterea postulamus à vobis, vt eisdem Canonicis suæ professio-  
nis Abbate m semper præficiatis: in cuius constitutione electionem  
esse permittatis eorum.

Signum domini HENRICI quarti Regis.

Sigis hardus Cancellarius, vice Sigifridi Archicancellarij re-  
cognoui.

1066. Data anno Dominicæ Incarnationis M. LXVI. Indictione quar-  
ta, anno autem ordinationis domini Henrici quarti Regis XIII.  
regni verò X.

Actum Triremundi in Dei nomine feliciter, amen.

### N O T A T I O.

S. AVBERTVS ) Cameracensis & Atrebensis Episcopus, cuius  
nomen indignus gero, an. 651. floruit; teste Sigeberto in Chronicō.

Sepultus autem fuit in ecclesia B. Petri, quæ extra muros urbis  
Cameracensis erat ædificata, nunc autem, ampliatis mœnibus, est  
intra urbem: vt Baldericus in Chronicō Cameracensi loquitur.

Monasterium porrò istud S. Petri, quod nunc S. AVBERTI dici-  
tur, primùm Canonicos seu clericos habuit sacerdtales, vt vocant:  
quibus amotis Lietbertus substituit regulares, in communi viuen-  
tes: vt Coluenerius in Notis ad lib. 2. cap. 9. citati Chronicī Came-  
racensis fusè explicat. Eiusdem S. Auberti sacra ossa ibidem in fe-  
retro argenteo honorifice adseruantur.

C A P V T